

IOANNES DE DALBURG PRAESVL VVOR-
matiensis.



Ioannes Camerarius de Dalburg præceptorem
habuit Rodolphum Agricolam Phrysiū. Ab
eo adeò in omni disciplinarū genere optime pro-
fecit, ut in Philosophum, Rhetorem, Poëtam, iure-
consultum, & Theologum doctissimum euaserit.
erat etiam singulari pietate & prudentia præditus,
quibus uirtutibus nobilitatem generis sui plurimū
illustrauit, atque Philippi Palatini electoris cancel-
larius magna laude diu extitit. Hinc factum ut o-
mnium consensu anno millesimo quadringentesi-
mo octuagesimo sexto episcopus Vuormatiensis
electus fuerit. Scripsit is multa soluta & ligata ora-
tione, & inter alia carmen saphicum de morte Ro-

dolphi, atque librum de moneta, cum multis orationibus, quas coram ponti-
fice Innocentio octauo & alijs principibus hinc inde habuit. Cum autem ma-
gna laude per annos octodecim suam ecclesiam optimè instituisset, tandem
moriens anno millesimo quingentesimo tertio Reinhardum successorem ha-
buit. An. in Episc. Vuorm.